

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Specimen Pharmacopoeae Militaris Franco-Gallicae

Handel, Georg Theodor Christoph

Argentorati, [1797]

VD18 11681020

Vorwort

urn:nbn:de:gbv:45:1-11735

Maecenates spectatissimi!

Date mihi veniam Atlantes medicinae castrensium Franciae fidissimi! si, infra dignitatis Vestrae decora, valetudine vacillante mihi, libellum huncce timide nunc inscribam Vobis iudicandumque exhibeam.

Humanitate ea, qua decet, scientiarumque mole soli illi estis, apud quos, tanquam ad iudices etiam dignissimos, nomen profiteri debeo meum, quibus, (libens id confiteor,) nil mihi prius; nil in vita hacce unquam esse potest posterius.

VIII

Accipite igitur, fronte serena laetaque, ingeniorum exemplo magnorum, munuscula haecce litteraria.

In Rempublicam, quam prae caeteris solam atque unicam aestimo Vestram, me et *Musas* jam dudum transportavi meas; civem *Franco-Gallicum* animo et opere professus sum, meritoque in posterum delectabit, *Sparta* meliore ornare studia mea, et illic locorum ducere vitam, ubi plus menti litare queam bonae.

Quemadmodum enim prae caeteris virtutibus *Franco-Galli* in fama versantur splendida, atque per *Europam* omnem et solis utriusque inclauerunt limitem; sic potissimum fulgore hominum illo doctorum et artium nundinatione utilium apud Nationes honorem omnes sibi conciliarunt admirabilem.

Hac de caussa, insuperque adhuc exul ut patriae innocens, ob meum in libertatem sacrosanctam amorem flagrantem, *Galliae* incola malui esse restauratae, domi, quae non minus contra legum barbariem, litterarum munita praesidiis, ac foris contra hostem patriotismi armorum viribus defensa communem.

Neque dubito, quin domicilio sanctiore hic fidem scientiasque offendam, ubi et laudem sine invidia; gratiam pro jure et merito invenire quis possit.

Illam, proh dolor! dolenda Respublica, quae, seditionibus convulsa intestinis, sic animorum distracta dissidiis, ut nil sanctum atque aequum pro virtute, omnia ad unius lucri servilis compendium ordinet ac disponat.

Sed nolo, saeculum nostrum aut patria hoc ore et loco nunc vapulet.

Pars amoris est, illa silentiis temporis involvere caliginosi, quae apud Tuos in lucem si protrahantur, dedecori esse queant.

Quo magis itaque Rempublicam ulnis quasi ambabus amplexus fui Vestram, sicut perfugium studiorum meorum tutissimum et sapientiae asy- lum litteratae unicum, ubi, sub ipsa *Heliconis* umbra, velut alta in solitu- dine atque otio, cum *Musarum* alum- nis liceat consenescere venerandis.

Caeterum Vos, Viri praestantissi- mi! grati, spero, agnoscetis, quod Vos; quod solum, Vos quod fert natale, nimis fortasse amem et diligam; cum nemo mecum dubius haesitabit, loca quoque illa, ubi auram et aërem quis traxerit liberio- rem, ex consuetu- dine paulatim in naturam se conver- tere.

Denique obnixè Vos rogo, ut me in amicitiam Vestram recipere; hanc inscriptionem, tanquam benevolentiae observantiaeque erga Vos meae quaecumque documentum, admittere dignemini, credatisque, me, quicquid forte aetatae meae penesque mortalis adhuc reliquum in mundo hocce sublunari fuerit, *Marte* pari ac sedulitate absoluturum esse.

Vivite felicissimi, precor!

Dabam *Casselli* ad *Rhenum* die **XXVIII** mensis nivosi anni **VI** Reipublicae *Franco-Gallicae*.

PRAEMONENDA QUAEDAM.

Nata est tanta medicamentorum sylva, qua nihil ad distinendam aegrotantium salutem et ad praxeos rationalis efficacisque incrementum deterius inveniri potest remorandum. Nam profecto, sub tanto medicamentorum numero, quibus tempore nostro pharmacopolia referta et plane onusta sunt, genuini et proprii cujusvis effectus et operationes in tot differentibus naturis, morbis eorumque caussis recte haberi et cognosci non poterunt; neque etiam unquam cognitio intimior subsequetur, aut virium exploratio, cum successu molienda, nisi prius ad pauciores et selectiores numerum redigatur apparatus innumerabilis remediorum.

Hac de re medici, praecipuis illi, manus qui porrigunt auxiliatrices aegro-